



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano
accommodata**

Hermann Werner <Paderborn, Bischof>

Nevhsii, 1687

Modus juvandi morientes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36005

Oremus.

Domine Deus, qui per Apostolum tuum Jacobum locutus es : Infirma, tur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiae, & orent super eum, ungentes eum Oleo, in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei : Cura quæsumus, Redemptor noster, gratia sancti Spiritus, languores istius infirmi, (æ) ejusq; sana vulnera, & dimitte peccata, atq; dolores cunctos mentis & corporis ab eo (ea) expelle, plenamq; interius & exterius sanitatem misericorditer redde, ut ope misericordiae tuae restitutus (ta) ad pristina reperetur officia. Qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Oremus.

REspice, quæsumus, Domine famulum (lam) tuum (am) **N**, in infirmitate sui corporis fatiscentem, & animam refove, quam creasti; ut castigationibus emendatus, (ta) se tuâ sentiat medicinâ salvatum. (tam) Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuae gratiam, ægris infundendo corporibus facturam tuam multiplici pietate custodis; ad invocationem tui nominis benignus assiste, ut famulum (am) tuum, (am) ab ægritudine liberatum, (am) & sanitatem donatum, (am) dextrâ tuâ erigas, virtute confirmes, potestate tuecaris, atq; ecclesiæ tuae sanctæ, cum omni desideratâ prosperitate restituas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Benedicat & custodiat te Deus Pater **X** & Filius & Spiritus sanctus.

R. Amen.

Poterit deinde dare infirmo salutaria monita, pro cuiusvis personæ qualitate, quibus ad moriendum in domino confirmetur, & ad fugandas dæmonum tentationes roboretur.

Deniq; aquam benedictam & crucem, nisi propriam habeat, coram eo relinquere, ut eam frequenter aspiciat, & pro sua devotione osculetur & amplectatur.

Meminerit autem Parochus frequentius ægrum visitare, ne soli lucro in vigilare, & curam ovis periclitantis seponere videatur.

Moneat itaq; domesticos, ut si morbus ingravescat, quanto citius revocetur, ut morientem adjuvet, ejusq; animam Deo commendet. Si autem statim post sacram Unctionem moriatur, non discedat, nisi animam Deo commendaverit.

Modus Juvandi morientes.

In gravescente morbo Parochus infirmum frequentius visitabit, & ad salutem diligentè juvare non desinet : Monebitq; instantे periculo se confessum vocari, ut in tempore praesto sit morienti; & si sumpto S. Vaticano, & peractâ inunctione periculum immineat, animam statim, ut infra, commendabit. Sive tempus supperat, pro ut expedire judicaverit, sequentia pietatis officia praestare poterit.

Primo si ægrotus indulgentiam legitimâ autoritate concessam consequi possit, eam illi reducat ad mentem, proponatq;, quid ad eam consequendam agere debeat, præsertim ut contrito corde sanctissimum nomen Jesu semel vel saepius invocet.

Ut deinde eliciat actus fidei, spei & charitatis: scilicet ut firmiter credat omnes articulos fidei, & quicquid sancta Romana Ecclesia Catholica & Apostolica credit, & docet. Ut speret Christum Dominum pro sua immensâ clementiâ sibi fore propitium, & merito ejus sanctissimæ passionis, & per intercessionem B. V. Mariae, & omnium Sanctorum, se vitam æternam consecuturum.

Ut